

**Publication/Creation**

1951

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tpy2mam7>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

monia dicetur, ab exquisita profectò plurimum, tum causa, tum symptomatum magnitudine diffidebit.

Vomica pulmonis est abscessus exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio, quod membranula propriaque cysti arctè ad eò concluditur, vix vt quicquam de se tetrum in cor expiret. Hæc frequens est in tabidis, sed & plerumque sine tabe fit, quum sanguis ex aperta, rupta, aut exesa vena, in paruam quandam pulmonis regionē secedens, illic putrescit sensimque mutatur in pus, ac per summa siccescens sibi cystim efformat. Latens profectò & in primis abditum vitium, sæpe nec laboranti nec medico notum, quo laborans ipse nec consueta munia intermittit, nec se morbo teneri putat, causamque interitus sui nesciens intus gerit sub pectore. Adolescens quidam à paulò vehementiore exercitatione, quū acerba tussi nullo puncto temporis intermisso torqueretur, vomicam integram columbini oui magnitudine excreauit, in qua aperta pus exquisitè album & æquale deprehensum est: cruenta excreatio integrum biduum perstitit magna febre magnaque corporis perturbatione. At nihilominus seruat<sup>us</sup> is est atq; sanitati restitutus. Nō pauci inopinatò è viuis horæ quadrante erepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis causa cōparuit, quàm repentina vomicæ disruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetrauerat ipsius vim extinguens atque obruens. Quumq; ex his duo medici esset percelebres, attamē nec febre, nec inappetētia, nec alio vlllo symptomate, impendentem sibi diem vitæ supremum præsenferunt. Id mihi quidem persæpe eius loci memoriam refricauit, quo inquit Hippocrates, Quibus suppuratio in corpore abdita non innotescit, ea propter crassitudinem vel puris vel loci delitescit. Etenim haud rarò efficit obuoluentis membranæ densitas; vt nihil tetrum à pure in cor vitæ fontem inspiretur. Omnibus tamen sic affectis multo tempore antequam vomica rumpere-  
 25 tur, cruenta excreatio processit è pulmonibus, eaque cum tussi: adfuitque spiritus grauis ac fœtidus, corporis grauitas, pectoris leuis oppressio & spi-  
 30 ritus difficultas, quibus tabes rarò comes. Sed hæc quidē signa aliorū quoque affectuum communia sunt.

Tabes autem pulmonis est exulceratio, qua sensim corpus vniuersum liquefcit. Hac incipiente frequens tussis molesta est, quæ cruetum aliquid sine sensu doloris extunditur: hoc interdum subsistit, tussi que sordidum  
 35 quiddam editur, deinde purulentum, tum febricula leuis adoritur, cuius nulla fit intermissio: quæ tandem hectica facta, mox à cibo aliarum more inualefcit. Vlcere magis magisque serpente & sordescēte pus excreatur, fitque quod dixit Hippocrates, A sanguinis sputo puris sputum. Hoc quum  
 40 in imum descēdit subsidetque. Ac nihilominus quoties vel labore, vel tussis impetu, vel excandescētia vlcus puris lentore obductum refricatur, cruenta excreatio redit. Confirmato ac iam inueterascente vitio putris pulmonis portio interdum exit, & sputum carbonibus iniectum aut etiā

ἀσθμα  
 ἐπιπνεύμων  
 11.

hisporia

ἰ φ. δ. β. α.

le